

DE GRAECO EPIGRAMMATE SEPULCRALI BONNENSI

In libro utilissimo et rarae doctrinae pleno, quo quid de animalibus veteres senserint ac scripserint composuit, nuper O. Keller obiter mentionem fecit lapidis Bonnensis, qui canis imaginem habet, quam alios ille vir doctus secutus ibi sculptam esse censet, ut fidelem δουλίδα sub lapide sepultam significaret (Antike Tierwelt I p. 134). Hanc opinionem olim Buechelerus in hoc museo (XXX [1875] p. 37) professus Kaibelium assentientem habuit cum epigrammata e lapidibus hic colligeret (n. 683), dissentientem cum idem ederet inscriptiones Graecas Germaniae (IG XIV n. 2566 p. 676). Namque in hac retractatione et ad priorem Welckeri accedenti sententiam in primo versu Hyles nomen magis aptum ei videbatur quam quod Grotefend olim vel Buechelero probaverat Demus et 'persuasum habeo' inquit 'non puellae hoc sepulcrum esse sed canis eius cuius in ipso lapide imago expressa est'. Atque ut hanc confirmaret opinionem, potuit non solum Martialis de Issa cane carmen (I 109), quam 'picta Publius exprimit tabella' (v. 17) adferre, sed etiam verum illum Myiae canis titulum sepulcralem ipsum quoque imitatione Catulliana insignem, qui in Aquitania olim inventus est (Buecheler ALE n. 1512) et alios non paucos, praesertim Mytilenaeum (Kaibel n. 329), quo Balbus quidam canem sepultam δουλίδα καὶ σύμπλου πολλῆς ἀλός laudat¹. Quare quae e lapide edidit:

Θεσσαλονείκη μ[ο]ι πατρίς ἔπλετο, οὖν[ομ' Ὑ]λη μοι·
κάμ' Ἄσιος Β[ατά]λοι' ὕος φίλτροισι [δ]άμ[ασσε
εὐνοῦχος περ ἐ[ώ]ν
κε]ῖμαι δ' ἐνθά[δε νῦν, τόσ]σον ἄνευθε πάτρ[ης],

¹ Iam apud Theophrastum est (char. XXI 9 περὶ μικροφιλοτιμίας): καὶ κυναρίου δὲ τελευτήσαντος αὐτῷ μνήμα ποιῆσαι καὶ στηλίδιον ποιήσας [ἐπιστήσας ci. Diels] ἐπιγράψαι 'κλάδος Μελιταῖος'. Cf. ed. Lipsiens. p. 170.

ea sic interpretatur: 'Asius dominus canem senio confectam veneno dato interfecit, qui cum ipse eunuchus esset, canis autem femina, lusit in philtorum vocabulo — τὰ φίλτρα enim veneni loco habebantur — et canem tamquam suis incantamentis perisse fingit.' Vides ita totius carminis acumen in eo versari, quod eunuchus dominus canem feminam aluerat et sepelivit, ac revera feminas canes fere in deliciis habuisse veteres credibile est (Mart. I 109, ALE 1175, 1176, 1512, Kaibel n. 329). At Buechelerum memini apud ipsum lapidem illam sententiam evertere ita, ut se ipse a discipulo quondam didicisse non sine risu diceret canem aperte ibi sculptam esse marem. Ac tametsi lapidarium satis neglegentem fuisse e titulo apparet, tamen ut hac ipsa re peccaret, dominus certe admittere non debebat. At vereor ne non tam propter canis imaginem ut ita sentiret Kaibelius inductus sit quam propterea quod docta de hoc lapide disputatione ei imposuerat Welckerus (Syll. epigr. Graec. n. 101 p. 130 sqq.). Quae cum ita sint, de ipso carmine denuo accurate quaerere atque de canum in sepulcris imaginibus pauca subiungere haud scio an operae pretium sit.

Ac summa difficultas est in nomine sepulchrae restituendo; nam cum in lapide sit OYN . . . | ΛΗΜΟΙ¹, qui primus docte de hoc titulo disputavit Grotefend sic edidit. οὐνομα Δημῷ scilicet quadratarium litterarum Graecarum ignarum pro littera δ sculpsisse λ atque οι pro ω ratus. Ac sane illud ipsum peccavit in quarto versu, ubi est ενθαλ., quod esse debebat ένθάδε, et w ubi esse debebat in versu tertio (έών), eum per errorem η sculpsisse omnes testes consentiunt. Sed, ut hoc interim absolvam, iterum inspecto lapide vereor ut huius rei merito insimuletur: neque enim in eo fuisse EHN mihi videtur, sed EWN. Nam prior mediae litterae hasta clare conspicitur neque a media eius parte linea ad alteram hastam ducitur, atque illo loco integer est lapis; sed paulo infra certo cognovi partem lineae transversae quasi ab ima priore hasta ad summam alteram hastam ferentis, et cum spatium, quod inter utramque hastam patet, maius sit, quam in littera H esse soleat, et tantum quantum in M fere est, hanc ipsam litteram inversam ibi sculptam esse credo².

¹ Quamquam ut nunc lapis est qui primam huius versus litteram Δ esse dicat mendacii coargui nequeat.

² Hanc litterae ω formam maxime altero p. Chr. n. saeculo in usu fuisse docet Larfeld, Griech. Epigraphik II p. 490 sqq. Cf. IG III 2 n. 1359, ubi tamen litterae Λ forma a Bonnensi differt.

Qua re etsi lapidarium defendendum suscepi, nolo tamen omnino Buecheleri sententiam repudiare, qui eum Graeci sermonis ignarum dixit. Namque primum nomen scripsit Θεσσαλονεικη, in altero versu λαμα[σσειν, in tertio ευνουχοε, in quarto ενθαλ[ε et λνευθε, ut similes litteras eum prorsus confudisse intellegatur. Quare nomen sepultae in primo versu eadem fere cum probabilitate Welckerus scripsit "Υλη¹ atque Buechelerus Grotefendium secutus Δημοί. At ipse Welckerus 'insolitum est in Graecis' inquit, 'repetitum μοί', acceditque quod insolitum est in Graecis nomen Hyles, id quod recte observavit Sondag, De nominibus apud Alciphronem propriis Diss. Bonn. 1905 p. 18². Proinde si alteram sententiam probamus atque sepultae Demo nomen fuisse censemus, in novam incidimus difficultatem, quia non Δημω sed Δημοι scriptum est: quod cum Buechelerus 'prisco more exaratum' diceret nescio an memor eorum quae Herodianus (II 547. 7 et 645. 10 Lentz) docuerat³, Kaibelius in sylloge maluit scribere Δημώ vere a Grotefendio correctum ratus. Sed quae de erroribus qui sunt in lapide supra cognovimus, iis haud scio an facilius inducamur ut carminis auctori hoc imputemus, sive ille Latinum morem secutus dativum scribere voluit sive vocativum quo fere sepultam appellari audiverat, nisi illa aetate qui ad Rheni ripam Graece loquebantur, omnino earum rerum neglegentiores fuisse rectius statuimus. Ac quoniam praeter duo illa nomina optio vix datur — nam Ἰδη vel Ἄδη Welckerus ne commemorare quidem debebat —, puellae sepultae nomen Demo fuisse apparet, quod quam multis omnium regionum fuerit qui volet ex epigrammate Philodemi AP V 116 discere potest. In quo constituendo eo inducti sumus, ut de versuum auctore diceremus, de quo Buechelerus: titulus factus ab homine certe artis imperito qui fuit fortasse ex legati familia quondam in Macedonia versati.

¹ οὔνομ' "Υλη μοι. Apocope enim in altero versu scribitur κἄμ' Ἄσιος et Βατάλοι' ὄος.

² Qui titulum IG XIV 2566 non debebat adferre, siquidem idem est de quo disputamus, apud Xenophontem non debebat dicere canis nomen esse "Υλη Cyn. VII 5 sed quod cani convenit Ὑλεύς, IG XIV 2313 titulum habet incertissimum, ut restet nomen "Υλη ab Alciphrone fictum et CIG III 4103 in titulo infimae aetatis Galatiae qui Christianus vel Iudaicus videtur esse.

³ Hettner in catalogo lapidum Bonnensium (Bonnae 1878 p. 45) Ahrensium de hac scriptura disputantem adfert: Kuhns Ztschr. III p. 81 sqq.

Qui quod in primo versu Θεσσαλονείκη, in altero ὄός scripsit, suae aetatis morem secutus est, ac quod in primi caesura bucolica hiatus admisit, haud scio an elegantiam sit arbitratus. Nam cetera quae servata sunt, bene procedunt, atque etsi fere in iis versantur quae eorum carminum communia sunt, tamen aliquam habent scientiam. Quam ut illustremus, adferre iuvat, quae in epigrammatis sepulcralibus similiter scripta sunt, omnia fere ad primum aut quartum versum huius carminis referenda: scilicet quae in iis insunt, sescentiens in sepulcris scribenda erant:

Θεσσαλονίκη μοι πατρίς ἔπλετο, οὔνομα Δημῷ
 κείμει δ' ἐνθάδε ἄνευθε πάτρης.

Quae qui composuit, eum certis exemplaribus usum esse vel ex eo apparet quod primo versu πατρίς, quarto πάτρης scripsit, quamquam in primo per leges metricas hac forma uti licebat. Horum similia cum alia multa apud Kaibelium ut n. 92, 250, 255, 597, 640 tum haec habes: n. 529 πατρίς δέ μου Θεσσαλονίκη, 598 πατρίς μὲν Ζαθήη Ῥώμη, Βασιλεὺς δὲ πατήρ μοι, 563 Τρινακρία γαῖά με λοχεύσατο, οὔνομα Οὐήραν, praesertim 517 d

πατρίς μὲν μοι Ἔδεσσα, τὸ δ' οὔνομα Κλαυδία Γράπη,
 κείμει δ' ἐνθάδ' ἐγὼ σύγγαμος οὔσα Τίτου.

Atque hoc distichum viam monstrat ad pentametrum recte supplementum, quem Welckerus (et Franz CIG III 6809) sic scripserat: κείμει δ' ἐνθα λάβον νοῦσον ἄνευθε πάτρης de morbo cogitans quem poculo amatorio conceperat puella. Illud ἐνθάδε κείμει praeterea est apud Kaibelium n. 604 et 606 nec minus apud Paulum Silentiarium AP VII 307. 4, qui quae fere in sepulcris legebantur irridens scribit: κείμει δ' ἐνθάδε νῦν atque ita confirmat Buecheleri supplementum omnino probatum: κείμει δ' ἐνθάδε νῦν, τόσσον ἄνευθε πάτρης¹. Pro quo an rectius Edesaeum illum titulum imitati scribamus κείμει δ' ἐνθάδ' ἐγὼ, incertum est: hoc enim praeferendum est, si superior versus erat de Asia, illud si de puella: cf. Kaibel n. 386 Ἀπφία ἐγὼ κείμει Μενεκλεί μίγα τῷδε σὺν ἀνδρί. Atque huius tertii versus supplementum incertissimum. Welckerus quidem sibi persuaserat

¹ Cf. AP VII 259. 2 κείμεθα φεῖ γαίης ὄσσον ἀφ' ἡμετέρης, 376. 5 τόσσον δίχα τηλόθι Λέσβου κείται, 552. 6 τήλε πάτρης εἶνον ἔδωκε τάφον, 715 πολλὸν ἀπ' Ἰταλίας κείμει χθονὸς ἔκ τε Ταράντου πάτρης, Kaibel n. 146. 3 ἐνθα πόνουσι πόνους ἀνέμετρεε τηλόθι πάτρης (Hom. Il. A 30).

puellam amatorem non accusare, sed sortis eius misereri et scripserat: καὶ ἄκυρον ἦν λάχος αὐτοῦ¹, Franzius CIG III 6809 miserationem se non agnoscere professus suum οὐδ' ἔμπυρον ἦν λάχος ἡμῶν sic explicat: 'dicere puella videtur se ab illo φίλτροις petitam, non ad connubium accessisse sed prius mortuam esse. In eamque sententiam tertium hexametrum utcumque composui (nec tamen eum sortita sum facibus accensis). Notae sunt αὶ νυμφικαὶ δάδες.' Neutram sententiam admodum probabilem esse facile apparet: rectius certe Buechelerus 'non singulare argumentum sed tritissimum declarandum censui peractam esse fati sortem', sed quod ille commendavit supplementum [καὶ ἔ]κυρον ἦν λάχο[ν ἀ]ίσαν] etsi propter 'parum probabilem sententiam' immerito Kaibelius vituperavit, tamen et propter artificiosam dictionem — nam ἔκυρον et ἔλαχον fere idem sunt — et propter spatium quinque litterarum quod post vocabulum ἔων patet minus veri simile est, etsi huic argumento non multum tribuere licet. At de sententia eum vere iudicavisse confirmatur illo κείμεναι δέ proximi versus, quo efficitur ante dictum fuisse de morte hausto philtro obita. Quare haud scio an quis induci possit, ut a poeta scriptum existimet ἢ δ' οἱ]κτρὸν <ἔ>ην λάχο[ς ἀ]μόν. Nam qui Homerice scripserat εὐνοῦχός περ ἔων, quidni hoc loco scriberet ἔην², id quod quadratarium non bene expressisse credibile est, et littera secundo loco servata ita adfecta est, ut eam T esse potuisse non liceat prorsus negare³. At aptior huic carmini sententia vix excogitari potest quam mortem puellae obtigisse contra leges quae omnino de morte valeant, id quod in ipso vocabulo ἄκυρος inest⁴: nam quid magis nefas dicendum quam amatorio poculo puellam interimi a spadone? Nihil igitur restare videtur nisi ut scriptum fuisse concludamus καὶ ἄκυρον ἦν λάχος ἀμόν. Neque enim puella vitae exitum quem debebat sortita est velut ille apud Kaibelium n. 604. 5 βιοτοῦ τέλος καὶ μοῖραν

¹ ἄκυρον pro ἀκυρές, ἀτυχές quamvis hoc significatu illa forma non inveniatur. In talibus inexhausta est linguae varietas et analogiae copia.' p. 134.

² An credimus eum, ut caesuram κατὰ τέταρτον τροχαῖον vitaret, maluisse contra prosodiam peccare?

³ Sane partem lineae sinistrae superioris litterae Υ in lapide cognoscere mihi visus sum.

⁴ Cf. Dio Chrys. or. XXXIII p. 395. 21: ἔπειθ' ὑμεῖς ἀκούοντες τὸ μὲν ἐξετάζειν καθ' ἕκαστον ἢ ἀπιστεῖν ἀνδρὶ σοφῷ φαθλον ἡγεῖσθαι καὶ ἄκυρον i. e. cuius non est legitima potestas, illicitum (Steph. Thes.).

ἔπλησε, sed immatura morte atque per eum hominem interfecta est, quem amatoriiis artibus uti minime decebat. Haec si accurate animo consideramus, in quarto versu haud scio an malimus scribere κείμαι δ' ἐνθάδε νῦν, quam κείμαι δ' ἐνθάδ' ἐγώ, nam in superioribus non iam de eunucho sed de puella sermo erat. Iam vero hunc poetam munere satis bene functum esse concedimus: nam quae in primo et ultimo versu sunt, etsi non semel similia iis inveniuntur, tamen quartus versus non caret elegantia, siquidem miseranda illa puellae mors eo est miserabilior, quo procul a patria sepulta est, et quae ipse composuit (v. 2 et 3) cum locutionibus poeticis distinxit (φίλτροισι δάμασσε cf. Welcker p. 133, περ ἑών, ἄκυρον λάχος) tum interfectorem spadonem Asianum¹ significavit et ortum Batalo quem utpote cinaedum infamem credibile est filium fecisse spadonem. Et ipsa arte metrica hexametri variant: primus habet caesuram bucolicam, alter semiseptenariam cum semiternaria, tertius semiquinariam. Sane alterius aut tertii p. Chr. n. saeculi sentimus artem: quippe primo contrariam adulescentis sortem sic perscriptam habemus:

Ῥήνῳ παρ ποταμῷ γενόμεν, Πωλλίνα δὲ μήτηρ,
 Κιυντιανὸς δὲ πατήρ, Προυσιάδος δὲ πάτρης,
 Καλπουρνιανὸς δ' οὔνομ', ἔτη δ' ἐπὶ πέντε λόγοισιν
 εἰν Ἐφέσῳ σχολάσας εἰκοσέτης ἔθανον. Kaibel n. 229.

Facile hominem liberum Romanum sepultum et versuum artificem melioris aetatis cognoscimus.

Quoniam de puellae Thessalonicensis Bonnae sepultae sorte ex epigrammate sepulchrali cognovimus, restat ut denuo quaeramus, qua re in lapide summo sculptus sit canis. Atque hoc raro in monumentis inveniri ex eo apparet, quod alterum exemplum prorsus simile nemo dum attulit. Quare de ratione illius imaginis explicanda magna est dissensio. Atque missa Kaibellii altera opinione, qua canem ibi sepultam esse coniecerat, servae fidelitatem ita significari fere consentiunt. Sane catulos fideles ex Horatio omnes novimus, nec raro hanc laudem canibus a veteribus tribui consentaneum est, tamen ab hoc loco vel propterea aliena est, quia neque epigramma quicquam de ea re habet et ne nostra quidem aetate — qua canis nomen non tantam habet ignominiam quantam apud veteres — credibile est hominem aliquem laudis causa propter fidelitatem cum cane conferri. Vere

¹ Corripuit enim primam vocalem, ut de nobili Graecorum nomine quod est in Iliade cogitare non liceat.

igitur Welckerus (p. 134) 'etiamsi canis' inquit 'pro vigilantiae, fidelitatis, humilitatis imagine esse possit, frustra tamen sit, qui dicat istam imaginem a sculptore et in fastigio cippi expressam esse'. At similitudinis causa Keller Atheniense monumentum optimae aetatis commemorat Eutamiae (Friederichs-Wolters, Berl. Gipsabg. n. 1029), in quo et ut fere fit femina cum ancilla calathum ferente sculpta est et praeterea supra illam imaginem canis, cuius sexus cognosci non potest, qui animo attento aliquid exspectare aut observare videtur. Quare eum ad significandam matris familias accuratam in administranda re familiari diligentiam, fidem, vigilantiam, quae ipsa in nomine Eutamiae insint, additum esse dicunt (Heydemann, Ant. Marmorbildw. in Athen n. 513, v. Sybel, Katal. d. Skulpt. i. Athen n. 80, Wolters l. s., Keller, Ant. Tierw. I p. 133 s.). Quamquam de his monumentis ab aliis aliter iudicatum est, siquidem Friederichs canem in memoriam fidelis animalis prope dominum sepulti sculptum, E. Curtius (Abh. d. Berl. Akad. 1854 p. 216) eo ut Herculis comite vias atque itinera significari idque ipsum in lapide Bonnensi se cognoscere affirmant. Atque huius similem opinionem Franzius CIG III p. 1047 etsi omnino Welckeri sententiam, de qua infra dicendum est, probare videtur, indicavit idem p. 858 (n. 6131 b) 'canem fere symbolum itineris' esse affirmans. Quod documentis confirmatur nullis, etsi concedendum videtur aliquantum interesse inter multos illos canes qui una cum hominibus in sepulcris Graecorum conspiciuntur (Fried.-W. n. 20, 21, 1006, 1010, 1048, 1052, 1123, 1124, 1809, 1811)¹ et hos canes separatim sculptos: ac vel in illis de alia re primitus cogitatum videri Wolters p. 348 suspicatur². At canes in sepulcris non solitos esse pingi, ut rem praetereuntibus notam sive mortui virtutes sive vitam illustrarent, demonstrari mihi videtur epi-

¹ Cf. Holwerda, D. att. Gräber. Leiden 1899 p. 192, qui quoniam sibi persuasit in monumentis non vitam mortuorum, sed superstium sepulcra visitantium pingi, haec scribit: 'Endlich ist noch als lebendes Attribut der Hund zu erwähnen, der bisweilen als Begleiter des fremden Grabbesuchers, oft aber auch als Haustier, das von der Familie oder einer einzelnen Person mitgenommen wird, zu deuten ist'. — Ceterum ipse Trimalchio (Petr. 71) curavit ut in sepulcro non solum ipse sed etiam Fortunata cum catella sculperetur.

² 'Der Hund unter dem Lager ist ursprünglich vielleicht von symbolischer Bedeutung, hier aber schon ganz in die Darstellung aufgenommen und als Haustier der Verstorbenen gedacht.'

grammatis AP VII 64 et 425. Namque in illo viator e cane quaerens fingitur, cuius hominis monumentum custodiat, et canis respondens se canis i. e. Diogenis Sinopensis sepulcrum custodire. Illa igitur aetate¹ apparet canem in sepulcro sculptum praetereuntium admirationem movisse, et alterius carminis auctor Antipater Sidonius cur in monumento feminae praeter alia multa canis sculpta sit, clare explicandum sibi esse censet

Μὴ θάμβει μάλιστα Μυροῦς ἐπὶ σάματι λεύσσων,
 γλαῦκα, βιόν, χαροπὴν χάνα, θοὰν σκύλακα·
 τόξα μὲν αὐδάσει με πανεύτονον ἀγέτιν οἴκου,
 ἃ δὲ κύων τέκνων γνήσια καδομένην κτλ.,

atque haec ipsa ratio a Demus sepulcro aliena erat. Praeterea in toto illo Anthologiae Palatinae libro canis imago non commemoratur nisi VII 333, quo totus apparatus venaticus mortui describitur, ne in eo quidem carmine VII 211 quod est de sepulcro canis Melitaei. Quae cum ita sint, ne illa quidem monumenta Attica huic difficultati solvendae sunt, quae v. Sybel cum Eutamiae monumento comparat, n. 448 in quo praeter imaginem feminae et adolescentis in fastigio aratrum sculptum est, et n. 558 inferioris aetatis Salaminium, in quo vir cum tauro est et praeterea infra separatim aratrum et canis femina, quae sinistrorsum gradiens pedem priorem dextrum tollit, conspicitur: facile enim harum rerum ratio ex usu sculptorum Atticorum perspicitur. Quae cum ita sint, recte Welckerus (p. 135): 'Non magis audiendus esset, qui de cane cogitaret, quem defuncta forte dilexerit et carum habuerit. Nam nec per se par est hominis et bestiae commune monumentum et coniuncta memoria, neque exempla eius rei afferuntur², neque intelligi id posset, sed in epigrammate indicandum fuisset. Admodum diversa res est, sicubi in cippis Graecis, qui vitae quotidianae felicitatem sub imagine coenae domesticae repraesentant, liberis, vernis, mensae herili et equo, dignitatis equestris nuntio, canis quoque adiungitur'. Sed quod ille censet canem in lapide Bonnensi propterea esse, ut lusus fieret in nomine puellae, quod Hyle esse sibi persuaserat, quod homines Graecos admoneret de verbo ὑλᾶν,

¹ Auctor, qui ante Meleagrum fuisse videtur, imitatur AP VII 62 quod est de Platone ad exemplar carminis XVI 31 (Speusippi) compositum. Cf. Rasche, de Anth. Gr. epigr. Diss. Monast. 1910 p. 32. 2.

² At cf. AP VII 304 in commune monumentum viri, equi, canis, servi scriptum.

ὄλακτεῖν, etsi ingeniose excogitatum et multa cum doctrina explicatum, tamen vel propter nomen puellae incredibile esse supra demonstratum est: ac vereor ne in nomine Hyles homines Graeci non tam de cane latrante quam de silva fuerint cogitaturi et revera canes non solum a latrando Hylactor et Hylax, sed etiam a silva Hyleus et Hylaios appellatos esse scimus (Keller, Ant. Tierw. I p. 135 s.).

Hae omnes difficultates etiam augentur eo quod canis similimus atque in lapide Bonnensi sculptus est in sepulchro viri Coloniensis cuius monumentum ipsum nunc in museo Bonnensi est (Klein, Bonner Jahrb. 96/97 p. 165 s.). Cuius superior pars praeter litteras D·M habet ornamenta non admodum volgaria, sequitur titulus: *Senecioni limo cincto Geron filio piissimo*¹ eleganter scriptus, et infra canis parvulus eiusdem fere generis atque in lapide Bonnensi adstans sculptus est, quod Melitensium canum esse, quos veteres in deliciis habebant, e Kelleri disputatione cognoscere licet². Cum qua re haud scio an componere liceat, quod commemorat Keller p. 116 in lucernis sepulchrorum aliquot canum imagines inveniri (Aquilaiae, Vindonissae), quos ille canes villaticos existimat. Atque quoniam de Hecates canibus, cuius mysteria sua aetate multis locis et canibus immolatis celebrata esse imperator Iulianus testis est (Or. V p. 176 D, Keller I p. 97, 138, 143)³, cogitare vix licet, quia e locis in Thes. L.L. III 256. 75 collatis apparet et plures fuisse et terrorem vultu incipientes, nihil restare videtur, nisi ut illos canes censeamus custodes fideles sepulchrorum existimatos esse. Quae opinio et eo

¹ Memini Buechelerum cum titulum recens inventum apud antiquarios Rhenanos explicaret, eorum animos subtiliter advertere ad rationem quae inter illa nomina intercedit: pater ipse quoque servus publicus Graeco utitur nomine, filio imposuit idem Latine conformatum (γέρων — senecio). Cuius observationis memor cum Florentiae versarer, superioribus imperii Romani temporibus vel contrarium accidere potuisse cognovi e titulo CIL VI 2 n. 8724 *C. Iulio Luciferi filio Phosphoro* (sic) *architect. Aug. Claudia Stratonice uxor viro optimo*.

² [Canis — eiusdem ut videtur generis — imaginem exhibent duo monumenta sepulchralia Narbonensia, Espérandieu Bas-Reliefs de la Gaule Romaine I 770. 773. Alteri inscriptum est *Cytheris l(iberta)* CIL XII 4757.]

³ Cf. Plin. NH XXIX 59: *Genitae Manae catulo res divina fit et in cenis deum etiamnum ponitur catulina*. Wissowa, Rel. u. Kultus p. 196. 2.

confirmatur, quod adhuc in Ceramico Atheniensi canis marmoreus eo munere fungi videtur¹, et eo quod in monumentis Rhenanis quae picta sunt animalia, viva in sepulchris esse finguntur: velut in monumento Nasidieni quod nunc Lutetiae est (Weynand BJ 108/109 [1902] p. 200 n. 21) in angulis fastigii et in margine vasis infra positi aves sedent ut eas re vera in monumento non semel consedissee credibile est (cf. ib. p. 225); atque vigilum canum excubias vel in scutis pictas esse Keller p. 127 docet. — Dicit quispiam vel propter hoc argumentum probabile esse non quemvis canem sed eum in sepulchro fere esse sculptum, qui mortui in deliciis fuisset, itaque nos reverti ad eam sententiam, quam iam Welckerus impugnavit: scilicet in aliis monumentis Rhenanis canes una cum domino aut domina conspici (BJ 108/109 p. 205 n. 68 et 71 cf. Petroni locum quem supra attuli), et Vitruvium IV 1. 9 p. 86 R testem esse res, quibus mortui delectati sint, fere ad sepulchrum portari et in eo collocari solitas esse. Quem argumentis refutare haud scio an non liceat, sed quod Welckerus dixit (p. 135) 'non magis audiendus esset, qui de cane cogitaret, quem defuncta forte dilexerit et carum habuerit', non cogitabat nisi de communi hominis et bestiae monumento id quod ne nobis quidem probatur. Immo mortuae puellae in monumento canis, qui ei in vita carus fuerat, fidelis sepulchri custos constitutus ad hunc diem munere fungitur ac praetereuntium animos pede blande sublato advertit ad sortem miserabilem dominae, quam immatura morte interemptam 'detinet extremo terra aliena solo'.

Monasterii Guestfalorum.

P. E. Sonnenburg.

¹ Cf. Collignon, Hist. de la sculpt. Grecque II p. 384: 'on peut voir encore en place, au cimetière du Céramique, près de la chapelle d'Haghia Trias, un chien couché sur le pilier qui surmonte une sépulture. La tête droite, l'animal semble veiller sur le tombeau, et c'est là un symbolisme qui se comprend facilement si l'on se reporte aux tombeaux lyciens de Telmessos et de Tlos, où le chien est sculpté en relief près de la porte qui donne accès à la chambre funéraire'. — Cf. AP VII 64. 1, de quo supra disputavi.